

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Band:** - (1750)  
**Heft:** 17

**Artikel:** I. Iac. Zimmermanni dissertatio de theologia Euripidis  
**Autor:** Zimmermann, J.J.  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394661>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 15.10.2024

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**



J. JAC. ZIMMERMANNI

DISSERTATIO

De

(\*) THEOLOGIA EURIPIDIS.

---

§. I.

**Q**UAMVIS plerique *Poëtæ*, veteres imprimis, non id agant, ut veritatem in apricum proferant, virtutisque studium commendent; negari tamen simul etiam nequit, inter veteres pariter & recentiores reperiri, qui communi vitio se abripi haud sunt passi; sed utile dulci miscuerunt. Inter veteres exemplo nobis esse potest EURIPIDES, Poëta Tragicus, *Anaxagoræ* discipulus, & *Socratis*, Viri maximi, familiaris: innumeræ in Tragœdiis ejus extant sententiæ graves, & ad virtutis amorem, studiumque mirum quantum facientes, certe, si quis eas ad regulas ordinis, seu compendii, redigere vellet, haberemus

Tom. V.

A

non

---

(\*) Quæ nos moverit ratio, ut hanc Dissertationem apologeticam in fronte hujus Particulæ ponendam esse, non abs re fore censeremus, eam vel me tacente cognoscat, qui proxime subjectas esse Clariss. quondam S. BATTIERII in EURIPIDEM Observationes animadvertet.

non contemnendum *Ethicæ Philosophicæ Systema*. Unde eo magis mirandum, homines fuisse, qui excellentissimo Poëtæ dicam *Atheismi* impegerint: nimirum glorientate uno, glorientat sæpe & alter, licet postremus nesciat aliquando, cur prior vocem emiserit; quod hodiernum fieri solet, olim factum esse mirum non est. At ostendendum est, injuriam factam præstantissimo Viro, pravissimi erroris postulato; quod antequam facimus, monendum ex quo fonte manaverint accusationes adversariorum. Sciendum igitur Accusatores vel omnia, quæ huic vel illi personæ secundum leges & το πρῶτον *Dramatis* conveniunt, *Euripidi* adscripsisse, vel ex incertis tragædiis, & laceris fragmentis, quæ cui tribuenda sint, non constat, argumentatos esse.

Audiamus igitur accusatores Poëtæ. **ARISTOPHANES** in *Ranis* Act. IV. Sc. I. inducit *Euripidem*, & *Æschylum* Poëtas mutuis convitiis, quasi de palma certantes; inter alia, *Æschylus* ita compellat *Euripidem* εὐ δ' ὦ θεῶν ἐχθρῆ, at nemo qui hanc Comædiam legit dubitare poterit, quin impurissimus Histrio Poëtas illos duos, quorum odio flagrat, populo voluerit deridendos propinare: non igitur sales ipsius & cachinnos moramur, sed ad alios nos convertimus: **SEXTUS EMP.** *Lib. IX. pag. 562. Edit. Fabr.* in medium profert versiculos quosdam impios, quos *Critias*; *Plutarchus* autem de *placit. Philosoph.* *Lib. I. Cap. 7.* *Euripidi* adtribuit, verba *Plutarchi* ita sonant ex versione *Xylandri*: *Philosophorum quidam, ut Diagoras Melius & Theodorus Cyrenæus & Evemerus Tegeata, omnino negaverunt esse*

esse Deos, & Evemerum etiam Callimachus Cyrenæus innuit in Jambis scribens:

*Venite frequentes ante muros in fanum,  
Ubi qui vetustum ex ære tonantem formavit  
Senex loquax cum libris impiis friget.*

hos dicit, quos composuit non esse Deos docens: & Euripides Tragicus Poëta aperte quidem profiteri hanc sententiam non est ausus, metuens Areopagiticum iudicium: indicavit tamen hac ratione. Sisyphum introduxit, qui eam proferret, ipseque ei patrocinatus est:

*Incondita olim fuit vita mortalium  
Et belluina viribusque serviens*

legibus deinde positis ait injustitiam fuisse repressam, sed cum hæc aperta possent flagitia prohibere, multi autem occulte scelera perpetrarent, tum quendam callidum Virum prodixisse, qui docuerit veritati tenebras mendacio offundendas, hominibusque persuadendum esse;

*Quod sit perenni vita aliquis vicens Deus,  
Qui cernat ista & audiat atque intelligat.*

ita Plutarchus. Meminit hujus objectionis Euripidi factæ doctissimus Interpres, Josua BARNESIUS pag. 492. atque monet Veteres jam de Auctore horum versuum dubitasse. (\*) At si vel maxime

---

(\*) De hisce insuper versibus videndus est BAYLE voce Critias & Cl. MOSHEMIUS ad Cudworth. Tom. 2. pag. 797. uterque existimat Critiam non esse Auctorem horum versuum, sed Euripidem, rationes autem quas adduxerunt omni exceptione majores non sunt. Interim si vel maxime Euripidi tribuantur, Atheismi tamen ideo postulari non posse Poëtam vidit Baylius pag. 229. dicens:

concederemus *Plutarcho*, *Euripidem* horum ver-  
 suum auctorem esse, num inde jam sine ulteriore  
 examine statuendum, ex animi sui sententia locu-  
 tum *Euripidem*? quis nescit το πρεπον in ejusmodi  
 locis esse observandum, nec omnes omnia decere?  
 decuit *Sisyphum*, famosum *Prædonem* ita loqui, uti  
 eum loquentem induxit Poëta, hinc etiam vetus  
 Comicus *Xenon*, quem citat *Barnesius* de *Uropiis*,  
 e quorum numero erat *Sisyphus*, ait: Κακον τελος  
 γενοειο τοις Ωρωπιοις. Παντες τελωναι, παντες εισιν  
 Αρπαγες, hinc Vir Doctissimus Alb. FABRICIUS  
 in notis ad *Sextum* recte ait: *Iniquum est velle Poë-  
 tam pro Atheo atque impio habere, propter pauca quæ-  
 dam sub Impiorum persona in theatro proposita Sisyphi  
 alicujus aut Bellerophontis, & non velle eum excusare  
 vel defendere propter innumera ubique dicta pie & præ-  
 clarissime: ut autem verum fatear, vix mihi per-  
 suadeo, Plutarchum adeo iniquum fuisse Euripidis  
 Censorem, sunt enim, quod alibi etiam me mo-  
 nuisse recordor, in hoc libello Plutarchi quædam,  
 quæ alienam produnt manum, nisi forsan dicas  
 Poëtarum & Comicorum odio impulsum fuisse  
 Plutarchum. pag. enim 546. de gloria Atheniens. ju-  
 dicat, Euripidem, Æschylum, Sophoclem eximios Poëtas  
 parum*

---

*Il auroit dû [de Petitio loquitur] alleguer que c'est assés  
 la coutume d'Euripide, d'emmener des personages sur la  
 Scene qui debitent des Impietés. Son Bellerophon invo-  
 cative le plus hardiment du monde contre la divine Pro-  
 vidence, & conclut a la nier, vû les desordres qui se  
 voient dans l'Univers & l'oppression continuelle de l'inno-  
 cence. Doctissimus vero Moshemius lib. cit. pag. 1175.  
 sq. Poëtam ab Impietatis crimine liberum esse existimat.*

parum contulisse ad gloriam Atheniensium augendam; *Themistoclem* vero *Alcibiadem* &c. in majus extulisse eorum splendorem multumque rei publicæ addidisse. Certum quidem est Poëtas non multum conferre ad Rei publicæ salutem promovendam, & propulsandos hostes: at idem hoc sensu cæteris fere omnibus Doctoribus in Scholis publicis dici potest, quicquid sit, nemo non videt, argumentum illud quod ex fragmento Tragediæ citatæ petitur, profus nihil facere ad impietatem Poëtæ impingendam. Alius locus extat apud LUCIANUM in *Jove Tragædo* Tom. 2. p. 151. Edit. Grævii in quo ita *Timocles* contra *Damin Epicureum*: Num neque *Euripides* tibi videtur sani quicquam dicere, quum introductis in scenam Diis, indicat bonos Heroes ab ipsis servari, malos vero propter impietatem, qualis tua est, puniri? DAM. At o Generosissime Philosophorum, *Timocles*, si tibi hæc persuaserunt Tragicæ Poëtæ; necesse est ex his duobus alterum consequi, ut aut *Polum* & *Aristodemum* & *Satyrum* tunc putes esse Deos, aut *Deorum* personas ipsas, & *cothurnos*, & *vestes ad pedes usque demissas*, *chlamydes*, *manicas*, *ventralia*, *thoraces*, *aliaque*, quibus illi tragediam exornant, quod ego maxime ridiculum arbitror. Nam quum pro se nulla necessitate adactus, suam in fabulis sententiam dicit, libere loquentem audies:

*Vides supernum, simul & immensum æthera  
Terram humidis circumtenentem in brachiis  
Illum Jovem arbitrare, hunc puta esse Deum.*

Et rursus:

*O Jupiter, quicumque demum es Jupiter;  
Nec enim nisi sermonibus mihi notus es.*

*Et similia.*

TIM. proinde omnes homines gentesque decipiuntur, quum Deos esse putant, eorumque dies festos celebrant. Ex quo loco patet, *Lucianum* existimasse ab *Euripide* non solum negari Deos, publice receptos, sed & omne Numen, præter mundum, ab eo tolli: quid de Diis publice receptis senserit mox dicemus, probaturi eum a *recepta Theologia* non semel discessisse: at mundum, vel ætherem solum pro Numine habuisse *Euripidem*, quod contendit *Lucianus*, persuadere mihi non possum: Rationes autem sunt sequentes: [1.] Contraria est hæc sententia innumeris locis, quæ ex his ipsis Tragædiis adferri possunt, in quibus clarissime Numen a mundo distinctum agnoscit: [2.] Constans veterum sententia, & vox est, *Euripidem* de origine omnium rerum cum *Anaxagora* sensisse; at *Anaxagoras* mentem præfecit materiæ. [3.] Nondum constat a quo hæc ipsa verba dicta sint; neque enim quod veteres *Euripidi* tribuant, statim consequitur, eam ipsi animo sententiam sedisse: *Barnesius* sententiam *Stoicorum* hic adducit, existimatque ad eorum mentem interpretandum *Euripidem*: provocat inter alia ad *Plutarchum de pl. Ph. Lib. I. Cap. 7.* ubi ita mentem eorum pandit: Θεον καὶ κοσμον καὶ ἀστέρας, καὶ τὴν γῆν λεγούσι τὸν δ' ἀνώτατον πάντων νῦν ἐν αἰθέρι, atque ita hoc sensu *Euripides* sublimem, & immensum æthera nominans credidisset Deum in sublimi illo placidoque loco habitare, mentemque æthere sublimi tanquam splendidissimo vehiculo circumdatam; atque ita etiam *Euripidis* mentem intellexisse videtur ipse PLUTARCHUS in libello ad principem ineruditum, ibi enim pag. 482. ita loquitur:

quitur: *Verius autem hoc dixeris, Principes Dei esse ministros, ad tutandam hominum salutem: ut quæ Dii bona hominibus largiuntur, ea partim distribuant, partim conservent.*

*Vides sublime fufum immoderatum æthera  
Qui terram tenero circumjectu amplectitur.*

*Is quidem principia demittit seminum convenientium, terra autem ea vegetat: augentur alia imbribus, alia ventis, alia calore syderum lunæque fovente, omnia autem ea Sol ornat, & illum, quem ferunt amoris illicem indit, & tamen istis tantis totque donis, quæ Dii largiuntur, absque lege, justitia & principe frui non est permiffum; Eodem loco pag. 483. ait: Non enim probabile est, neque convenit (quod nonnulli Philosophorum putant) Deum permixtum esse materiæ omnia sustinenti, & infinitas rerum necessitates, casus mutationesque perpetenti. Sed nobis supra alicubi apud naturam sempiternam, eodemque semper modo affectam collocatus supra sacra (ut ait Plato) fundamenta, recta secundum naturam proficiscens ad finem pergit. Sicut autem in cælo pulcherrimum sui documentum posuit, in quo tanquam speculo gnaris se cernendum præbet &c. sane ex hoc loco Plutarchi patet, quod Deum ab omni re in sensu incurrente distinguat, quodque supra omnia αὐτῶν longissime euectum & collocatum Deum putet, & certe ipse Anaxagoras præter minimas particulas, quæ mundum conficiebant, Neq̄ admisit mentem prorsus a particulis illis secretam, atque hinc factum esse videtur, ut Euripides in *Alexandra* pag. 517. Αἰθερὰ Διὸς ὁρατῆρος appellaverit, atque ita etiam intellexisse videtur hunc locum ATHE-  
NAGORAS Legat. pro Christ. p. 23. adductis enim verbis istis ait: *Hunc autem qui invisibilis Deus**



est, ex operibus, quæ apparent observatis, aëre, cælo & terra, percipiebat. Cujus igitur opera sunt hæc, & per quem Spiritu suo reguntur, ipsum deprehendebat esse Deum, præter naturam Dei illa mundi pulchritudine abundantem, hæc duo insuper ostendens, sc. ubi Deum esse oportet, & quod is unus sit necesse est. Neque interim diffiteor in malam partem versiculos illos trahi posse, nisi aliunde perspicue Euripidis cognita esset sententia, quam ex ipso potius, quam aliorum narratione, percepisse præstat.

II. Antequam autem probemus Numen a mundo distinctum & materia, ab Euripide admissum, dispiciendum, quid de Theologia suo tempore publice recepta, senserit: ubi quidem fatendum, non pauca esse vestigia libertatis sentiendi, & loquendi. Afferemus quædam, ex quibus constabit, quam sancte, vel potius abjecte, de Diis patriis senserit. In Bacchis. v. 26. ita ait Bacchus de se.

*Quia me sorores matris, quas minime oportuit,  
Dionysum negabant ex Jove natum;  
Sed semel compressam ab aliquo mortali dixerunt  
In Jovem contulisse culpam stupri,  
Idque Cadmi commentis quorum causa ipsam interfecisse  
Jovem gloriantur: quod finxisset hunc concubitum.*

Certe ita locutus non fuisset, Vir de Religione publice recepta, præclare sentiens. Idem v. 215. narrat quæ crimina in festo Bacchi committantur.

*Pen. Absens quidem eram ex hac terra,  
Nunc autem audio nova per hanc Civitatem mala:  
Mulieres nobis domos reliquisse,  
Fictis Bacchationibus indulgentes: in umbrosis vero  
Montibus*

*Montibus celebrare novum hunc Deum,  
 Dionysum, quicumque ille sit, honorantes in choreis,  
 Plenas autem thiaris in mediis stare  
 Crateras: aliam vero alio in solitudinem & deserta loca  
 Fugientem inservire complexui marium  
 Prætextu quidem quasi sint Mænades sacra peragentes  
 Bacchi,  
 Sed ipsam Venerem pluris facere quam Bacchum. &c.*

Idem tamen Euripides ne Hierophantas offenderet, hisce quædam immiscuit, quæ persuadere possent, eum a cultu recepto non plane recessisse versu 200.

*Non contemno ego Deos, cum sim mortalis,  
 Nihil argute comminiscimur in Deos.  
 Patris traditiones, quas coætaneas diu  
 Servamus, eas nulla labefactabit ratio.  
 Neque si a summis sapiens aliquod commentum exco-  
 gitetur ingeniis.*

Ad quæ verba ita commentatur BARNESIUS: Hoc est non convenit, ut curiose in eorum placita inquiramus: Obedientia nobis sufficit: nec est, ut eorum abscondita Mystera infideliter atque impie rimemur, aut in disputationem trahamus; nam ut Tacitus: Sanctius est ac reverentius de actis Deorum credere, quam scire. Et mihi quidem videtur vere aurea hæc esse sententia. Brevis est institutio vitæ honestæ beatæque, si credas, fides enim in rebus Dei multo homini utilior Deoque gratior, quam vana & infidelis curiositas, hætenus Barnesius. Indignissima hæc sunt Viro Erudito, & quidem Anglo, bone Deus! quo in statu res essent mortalium, si hæc ratiocinatio valeret? malletm ego omni sensu & ratione destitui, quam sine examine stultas omnes opiniones, quas superstitio & fraudes

fraudes Sacerdotum pepererunt admittere, at multi nesciunt quid sit credere. In *Jone* inde a versu 436. afferit sub persona *Jonis*, Deos publice receptos multorum vitiorum causam esse. Audi eum:

sed castigandus mihi

*Phœbus*, qua mente virgines per vim comprimens  
*Prodat*, liberos ex illis suscipiens clam & deserat  
*Morientes*. Ne utique tu hæc facias, sed quando es  
*Dominus*,
*Cole virtutem*. Etenim quisquis mortalium  
*Improbus est*, illum *Dii* puniunt.  
 Quomodo igitur æquum est, vos qui leges mortalibus  
*Scriptistis*, ipsos *injustitiæ* reos esse?  
*Si enim* (non erit tamen), sed utar sequenti sermone  
*Jus* dabitis hominibus violenti congressus  
*Tu*, & *Neptunus* & *Jupiter*, qui in cælo dominatur,  
*Templa* exhaurietis supra vestra pecuniis redimentes,  
*Voluptates* enim ante modestiam  
*Studiosè* ponentes injuste facitis. Non amplius homines  
*Accusare* justum est, si *Deorum* vitia  
*Imitemur*; sed *Deos*, qui docent hæc, æquum est  
*accusare*.

Ita *Iphigenia in Tauris* v. 306.

ego etiam

*Tantali* epulationem *Diis* exhibitam  
*Incredibilem* judico, *Deos* sc. infantis esu delectatos esse.  
*Hujus* vero regionis incolæ, quod sua natura sint  
*homicidæ*
*In Deum* culpam suam transtulisse puto:  
*Neminem* enim *Deorum* malum esse censeo.

Taceo alia loca, quæ hinc inde in Poëta reperiuntur: non interim diffiteor, eum vera falsis  
*miscuisse*

miscuisse existimantem forte, prudentiores sensim sensimque rectius sensuros de his rebus, neque omnia simul esse concutienda superstitionis fundamenta, accedit timor potentiorum, eorumque, qui multum in Rebus publicis valent, nolunt illi quicquam tentari.

III. Cum autem jam in eo sumus, ut probeamus, EURIPIDEM Ens perfectissimum, Optimum, Sanctissimum, admisisse, possemus in genere provocare ad tot egregias sententias, quas de virtutum omni genere ubique proposuit, at cum hæc in singulis *Tragædiis* obvia sint, neque cuiquam ignota, ad ea tantum enarranda me accingam, quæ Deum ipsum, ejusque virtutes concernunt. *Existere Numen non semel asserit. Ita* pag. 509. v. 211.

Ἄλλ' ἔστιν, ἔστι κ' ἂν τις ἐγγελα λογῶ,  
Zeus καὶ Θεοὶ, βροτῆα λευσσονίης παθῆ.

- - - - - Ἄ Δυσδαίμων

Ὅς ταδὲ λευσσῶν Θεὸν ἔχει νοεῖ.

*Est, sint licet, qui videant, est Jupiter  
Superique, casus qui vident mortalium:*

- - - - - *Miser ille potest*

*Hæc qui spectans nescire Deum.*

v. 224.

Θεὸν δὲ ποιοῦν, εἶπε μοι, νοήσῃον

Τὸν πανθ' ὀρώντα, κ' ἄωλον ἔχ' ὀρωμένον

*Dic quæso qualem fas credi putas Deum?*

*Qui cuncta spectat, ipse non spectabilis*

*In Troadibus v. 885. ita loquitur Hecuba:*

Ὡ γῆς ὄχημα κάπτι γῆς ἔχων ἔδραν  
 Ὅστις ποτ' εἶ συ δυσοπάστος εἶδεναι  
 Ζεὺς, εἰς ἀνάγκη φύσεως, εἰσε νῆς βρότων,  
 προσπυξάμεν σε. Πᾶσα γὰρ δι' ἀφοφῶ,  
 Βαινῶν κελευθῶ, κάλα δίκην τὰ θνήτ' ἀγείεις.

*O terræ vehiculum & in terra habens sedem  
 Quicumque tandem est impervestigabilis animis nostris.  
 Jupiter, sive es necessitas Naturæ, sive mens mortalium.  
 Te invoco : omnia enim per arcanam  
 Vadens viam moderaris mortalia juste.*

Ad quæ verba ita commentatur BARNESIUS: *Ex hoc loco, inquit, conjectare licet, quam digne Deo, quamque philosophice de Dei natura senserit Euripides; dicit enim Deum & extra hunc mundum esse, vel ut Poëta, extra flammantia mœnia mundi, ut qui illum in se contineat, moveatque & gubernet, item in mundo esse, sedemque suam ponere, neque tamen ab eo comprehendi, totus enim Naturæ orbis intelligitur per γῆν in hoc loco, omnia nempe Elementa, aurea illa Homerica catena simul connexa & terræ alligata; hinc Hebræi sapienter Deum dixerunt אֵלֶּיָּמָה locum, non ut Buxtorfius per antiphrasin, quasi locum non habentem, utpote infinitum, sed quia ipse est plenitudo, quæ omnia implet continetque, unde Hermes Trismegistus: Deus est circulus, cujus Centrum ubique est, & circumferentia nullibi. Hierem. cap. 23. v. 24. מִן עָחִי תוֹן עֲרָבוֹן וְאֵת תֵּינִי יָגוֹן פִּלְגָשֶׁתִּי לֵאמֹר יְהוָה; huc referatur illa de Augustino bella & picturis etiam nobilitata Historia, quæ narrat illum ad maris littus ambulanti meditatione, quomodo Deum comprehenderet, occupatum, a puerulo ad bonam mentem revocatum, qui ludens operam, omnem Oceanum in brevissimæ Caveæ spatium concludere conabatur, ita Barnesius.*

Quamvis  
 non

non dubitem, quin *Euripides* existentiam Numinis & perfectiones ejus admirabiles admiserit, quod mox probabo; vehementer tamen dubito, utrum sub persona *Hecubæ* hæc exprimere voluerit, quæ erudite monuit *Interpres*. *Hecuba* adfectuum æstu abrepta, & ut sunt mulieres multiloquæ, de verbis secura, Dei auxilium invocat, cujus tamen mentem difficulter ad ἀκριβειαν philosophicam exigere licet. Hoc unum ex eo patet, nimirum credidisse Eum, Deum imperscrutabili quadam ratione rebus humanis consulere: alia sunt loca, quibus satis mentem suam pandit Poëta. Ita *Sapientiam & Omnipotentiam* Deo tribuit in *Helena* v. 1457.

ὦ Ζεῦ, Πάτηρ τε, καὶ σοφὸς κληθῆναι Θεὸς  
 Βλέψον πρὸς ἡμᾶς, καὶ μέλασθεσον κακῶν  
 Ἐλκεσι δ' ἡμῖν πρὸς λυπᾶς τὰς συμφορὰς  
 Σπᾶδι συναψαι. &c.

O Jupiter! Pater & sapiens Deus vocaris  
 Aspice nos & libera ex malis:  
 Trabentes vero nos calamitates cum mœrore  
 Diligenter adjuva.

Tribuit Omniscientiam pag. 507. v. 99.

Non caret sensu Deus  
 Ut scire nequeat, quod Sacramentum dolo  
 Struatur, aut quod exprimat necessitas  
 Curam Dei in regendis rebus mortalium

Ibid. v. 94.

Sæpe res magnas Deus  
 Minuit repente, celsaque in planum tulit.

In fine *Baccharum*: Chorus:

Multa

*Multæ formæ sunt divinarum rerum,  
 Multaque præter spem perficiunt Dii:  
 Et quæ sperabantur, non perfectæ sunt,  
 Et insperatorum exitum invenit Deus.*

Similia in fine *Medeæ, Alceſtidis, Helenæ, Andromaches.*

Fatetur insuper *Euripides* dari quasdam leges mortalibus in univèrsum omnibus præscriptas.

In *Hippolyto* pag. 221. v. 88.

Fam. O Rex! oportet enim Dominos vocare Deos,  
 Num vis aliquod a me accipere bonum consilium?

Hip. Maxime, alioquin enim non videremur sapientes.

Fam. Scis igitur quæ lex mortalibus sit constituta?

Hip. Non novi: qua de re me vero interrogas?

Fam. Odisse fastum & id quod non omnibus est gratum.

Hip. Probe scio: quis enim hominum superbus non est odiosus?

Fam. In illis vero qui sunt comes, est ne aliqua gratia?

Hip. Plurima certe, & quidem etiam lucrum cum parvo labore.

Fam. Existimasne vero & inter Deos idem esse?

Hip. Siquidem homines utimur legibus Deorum.

In *Helena*. v. 909.

*Odit enim Deus omnem vim, partas vero res  
 Possidere jubet omnes, non ex rapinis:  
 Omittendæ autem sunt omnes divitiæ injustæ:  
 Commune enim est cælum omnibus hominibus  
 Et terra, in qua oportet implentes Domos  
 Non habere aliena neque auferre vi.*

Deum ait pios sed afflictos singulari ratione juvare, ita circa finem *Jonis* v. 1621.

Ὅτω δ' ἐλαυνεῖται  
 Συμφοραῖς ὄικος; σεβόντα δαιμόνας θάρρειν χρεών.  
 Ἐἰς τέλος γὰρ οἱ μὲν ἐσθλοὶ τυγχάνουσιν ἀξίων,  
 Ὅι κακοὶ δ' ὥσπερ πεφυκασ' ἐπὶ ἐνυπραξίᾳ ἀν.

*Cujus igitur agitur  
 Domus calamitatibus, si Deos colat illum confidere oportet:  
 Tandem enim boni quidem consequuntur digna pietate  
 præmia;  
 Mali vero ut digni sunt, nunquam felices erunt.*

Superbos, atque virtutis Contemptores punit: He-  
 raclid. pag. 241. v. 388.

ἀλλὰ τῶν φρονιμῶν  
 Ὁ Ζεὺς κολᾷ τῶν ἀγαθῶν ὑπερφανῶν

*Sed Spiritus  
 Nimis superbos Jupiter punit.*

Odit etiam Deus vehementiores animi Impetus. In  
 Oreste totidem fere verbis. v. 706.

Μισεῖ γὰρ ὁ Θεὸς τὰς ἀγαθῶν προθυμίας  
 Μισοῦσι δ' ἄσσοι.

In Oreste v. 1361. Chorus ita:

*Juste venit Deorum  
 Vindicta contra Helenam:  
 Nam lachrymis totam Græciam implevit  
 Propter Idæum perniciosum  
 Parim, qui ad Ilium Græcos adduxit.*

Deus, cui pro lege sanctissima Voluntas est, non  
 potest non turbatores Societatis punire.

In Hecuba v. 799. sq.

*Sed*



*Sed Dii validi sunt & illis dominans  
Lex; lege enim Deos censemus  
Et vivimus injusta & justa nobis proposita habentes,  
Quæ lex ad te progressa si corrumpetur  
Et non pœnam dabunt qui hospites  
Interficiunt, aut Deorum Sacra audent capere,  
Non est quicquam inter Homines æquabile  
Nec exaudit perjuros.*

**Ita Medea ad Jasonem v. 1391.**

Τις δὲ κλυεὶ σε Θεός, ἢ Δαιμόν  
Τὸ Ψευδορκεῖ καὶ Ξειναπαλεῖ

*Quis vero Deus & Dæmon audiret te  
Perjurum & Deceptorem Hospitum?*

**Auxilio Dei opus est, ad res bene gerendas. Ita  
in Supplicibus:**

- . . . Ego enim cum mea fortuna  
Imperator ero inclytus cum inclyta hasta.  
Una re solum est mihi opus, habere Deos, quotquot  
Justitiam colunt. Hæc enim si sint, simul  
Dant victoriam: nam virtus nihil prodest  
Hominibus, nisi Deum faventem habeat.

**Opes ipsas munus esse Deorum in Phœniss. v. 555.**

Ἡ πολλὰ μυχθεῖν, πολλὰ ἔχων ἐν δωμασι  
Βεβλῆι. τί δ' ἔστι τὸ πλεον; ὄνομ' ἔχει μόνον,  
Ἐπεὶ τὰ γ' ἀρκυνθ' ἰκανὰ τοῖσι σωφροσὶ.  
Οὔτοι τὰ χρημᾶσι ἴδια κεκτῆνται βροτοὶ  
Τὰ τῶν Θεῶν δ' ἔχοντες, ἐπιμελεσμεθα,  
Ὅταν δὲ χρῆζωσ' αὐτ' ἀφαιρῆναι παλιν.  
Ὁ δ' ὄλβος, ἔβεβαιος, ἀλλ' ἐφημερος.

An multum laborare, habens multa in domo,  
 Vis? Quid est superfluitas? nomen habet tantum;  
 Nam quæ satis sunt, sufficiunt moderatis:  
 Neque enim homines proprias possident opes;  
 Sed habentes a Diis datas, curamus eas:  
 Quum autem illi volunt, auferent ipsas rursus;  
 Opulentia enim non est stabilis, sed in diem.

Bona, quibus maclavit Deus genus humanum, ma-  
 jora sunt malis, quibus idem urgetur, ita in sup-  
 plicibus Theseus.

Laboravi jam certans cum aliis Oratione:  
 Labio dixit enim quidam: Quod mala  
 Plura sint bonis apud Homines.  
 Ego vero contrariam his sententiam habeo:  
 Plura bona quam mala esse hominibus.  
 Nisi enim hoc esset, non essemus in hac luce:  
 Laudo autem eum, qui nobis vitam a confusa  
 Et ferina, quisquis fuerit ille Deorum, discrevit.  
 Primum quidem indens mentem, deinde vero nunciam  
 Sermonis linguam dans, ut agnoscamus vocem,  
 Et nutrimentum frugum, & frugibus de cælo  
 Stillas humidas, ut alant illa, quæ nascuntur ex terra  
 Et rigent ventrem; præterea vero adversus hyemem  
 Munimenta donans & æstum diei arcendum,  
 Et maris navigationem, ut commercia  
 Haberemus inter nos rerum quibus indiget terra.  
 Quæ autem sunt ignota & non perspicua, cognoscimus,  
 Intuentes in ignem & per fibras extorum  
 Vates futura prædicunt, & ex auguriis conjiciunt.  
 Nonne igitur petulantes sumus, cum Deus apparatus vitæ  
 Dederit talem, quibus hæc non sufficiant?  
 Sed animus noster plus posse quam Deus  
 Quærit: fastum autem in manibus habentes  
 Videmur esse sapientiores Diis.

*Religionem magni faciendam, quandoquidem Deus est Remunerator bonorum. In Heraclid. v. 901.*

*Habes viam quandam, o Civitas,  
Justam. nunquam oportet hoc tolli  
Cultum Deorum; qui vero non ita sentit  
Is ad insaniam propius accedit,  
Cum manifesta sint argumenta  
Hæc. Illustria enim certe  
Deus denuntiat mortalibus exempla;  
Injustorum ressecans, reprimens  
Superbiam perpetuo.*

*Ita similiter sub Cyclopi persona depingitur homo, qui divina humanaque jura perinde habet, quod ex universæ fabulæ scopo, & verbis Ulyssis patet. Ita autem profanus iste v. 315.*

*Divitiæ, homuncio, prudentibus Deus sunt.  
Reliqua vero sunt jactantia quædam & verba splendida:  
Aras vero marinas, quæ sunt consecratæ meo Patri  
Valere jubeo. quid igitur hæc proposuisti tuis verbis?  
Jovis enim ego fulmen non metuo, hospes,  
Nec scio quod Jupiter sit me potentior Deus.  
Nec posthac Jovem curabo, quod autem eum non curem  
Audi, quando deorsum mittit pluviam:  
In hoc antro habitaculum habeo solidum & apertum,  
Aut vitulum assatum, aut aliquam feram bestiam,  
Epulans sub tecto tegente meum supinum ventrem  
Epota lactis amphora vestem  
Pulso, cum Jovis tonitruum strepitu contendens:  
Quando vero Boreas Thracius nivem fundit,  
Pellibus ferarum corpus circumdans meum,  
Et ignem accendens nivem nihil curo.  
Terra vero necessario, sive velit, sive nolit*

*Pariens*

*Pariens herbam, pingues facit pecudes meas,  
 Quas ego cui mactō, præterquam mihi, non autem Diis,  
 Et ventri huic qui maximus est Deorum?  
 Quia comedere & bibere quotidie  
 Id vero Jupiter est hominibus sapientibus  
 Et nihil se angere; qui vero leges  
 Posuerunt variantes, hominum vitam  
 Illos plorare jubeo: meæ vitæ ego  
 Non desinam benefaciens, edensque te.*

Ad hæc autem *Ulysses*

*Heu, heu! labores quidem Trojanos effugi  
 Et marinos, nunc vero ad hominis impii  
 Animum appuli, & importuosum cor!  
 O Pallas, o Domina Jove genita Dea &c. &c.*

Hæc verba *Cyclopi* ita sunt comparata, ut facile pateat, describi hominem non tantum patriam religionem albis dentibus ridentem, sed & talem, qui omnem cultum Numinis aperta fronte concutiat; neque credibile, aut vero simile, *Euripidem*, siquidem ritus religionis publice receptæ explodere voluisset, iis verbis usurum, quæ ad omnem plane religionem rejiciendam comparata esse videntur, sane quæ supra jam adduximus, aliter sonant. Ita in *Phrixo* providam Dei curam contra *Impios* egregie tuetur:

*Si jus sequentem cum profano atque impio  
 Sors æqua sequitur, quomodo bene res eant  
 Si nulla Juris optimo Cura est Jovi?  
 Mortalium nunc si quis admittens scelus  
 Latere posse credit ultores Deos,  
 Sperat profana, speque captatur sua,  
 Ubi ceperit vocare divina ultio*

*Supplicia, pendet iusta factorum male,  
Advertite, qui esse Deum non creditis  
Pravaque mente duplicatis crimina:  
Est, est profecto? qui bene patitur malus  
Hic temporis sibi ducat usuram lucro,  
Nam post futura etate supplicium dabit:  
Crimina in Parentes commissa ulciscitur Deus.*

P. 448.

Τα των τεροντων ως μελεγχεται Θεος  
Μιασμαλα

Quamvis pulcherrime de Dei providentia sentiret Poëta, diffitendum tamen non est, florentem improborum statum eum aliquando offendisse. Saltem ita alios loquentes inducit, ita pag. 509. v. 205.

*Rara in sepultos, rara & in superstites  
Fides amica: namque plus pollent opes  
Pietate & illa quondam in oculis gratia  
Simul interit, cum funus effertur domo.*

Confer. *Hercul. fur.* v. 756. & ibi Barnesii notam: in *Hecuba* initio Actus tertii *Talthybius Agamemnonis* Præco casum *Hecubæ* ita deplorare, ut duritiei *Jovem* accusare videatur.

*O Jupiter quid dicam? utrum te homines respicere,  
An illos opinionem temere hanc habere frustra  
Falsam, existimantes esse Deorum genus?  
Fortunam vero omnia mortalia gubernare?  
Annon hæc fuit Regina abundantium auro Phrygum?  
Annon hæc Priami eximie beati Uxor?  
Et nunc urbs quidem universa est hasta  
Ipsa vero serua, anus, orba liberis, in terra  
Jacet, pulvere fædans calamitosum caput.*

Ali-

Aliquando de *Fato* ejusque necessitate parum religiose inducit loquentes multos: Ita in *Phœniss.* *Oedipus* versu 1589.

ὦ μοιρ' ἀπ' ἀρχῆς ὡς μ' ἐφυσας ἀθλιον  
 καὶ τλημον, εἰ τις ἄλλος ἀνθρώπων ἐφου.  
 Ὅν καὶ πρὶν εἰς φῶς μάλιστος ἐκ γονῆς μολεῖν  
 Ἄγονον Ἀπολλῶν Λαῖῳ μ' ἐθεσπίσει  
 Φονεᾶ γενεᾶται Πάτρος. ὦ ταλας ἐγώ.  
 Ἐπεὶ δ' ἐγενομην, αὐθις ὁ σπείρας πάλη  
 κτείνει με, νομισσας πολεμῖον δυσδαιμόνα.  
 Χρὴν γὰρ θανεῖν ἐξ ἐμοῦ. Περμπει δὲ με  
 Μᾶσον ποθενίᾳ θηρσιν ἀθλιον βορᾶν.

*O fatum! quam me ab initio genuisti miserum  
 Et infelicem, si quis alius hominum fuit!  
 Quem priusquam venirem ex conceptu materno in lucem,  
 Nondum natum me Apollo Lajo vaticinatus est  
 Homicidam fore Patris. O miserum me!  
 Postquam vero natus sum, statim Pater, qui me seminavit,  
 Interfici me jubet, existumans me sibi hostem infelicem fore:  
 (Oportebat enim eum interfici a me) mittit autem me  
 Desiderantem ubera, prædam feris infelicem.*

Videtur autem studio Poëta *Oedipum* tam misere lamentantem inducere, ut animadverterent Spectatores quam alte menti sensus vulneris esset infixus. Unde sequitur ejusmodi locutiones non esse ad vivum ressecandas, singulisque verborum apicibus inhærendum. Competit eis querela, qui in maximas prolabantur misérias; ubi æstus transiit mensque serena est, longe aliter judicare solent mortales. Secutus est *Euripidem* *SENECA* Tragicus: Is enim *Oedipum* pag. m. 192. ita inducit loquentem:

*Dehisce tellus , tuque tenebrarum potens  
 In Tartara ima , rector umbrarum , rape  
 Retro reversas generis ac stirpis vices.  
 Congerite cives saxa in infestum caput ,  
 Maclate telis. Me petat ferro parens ,  
 Me natus ; in me conjuges arment manus  
 Fratresque ; & æger populus ereptos rogis  
 Jaculetur ignes : Seculi crimen vagor ,  
 Odium Deorum , juris exitium sacri ,  
 Qua luce primum Spiritus hausi rudes  
 Jam morte dignus.*

**Interim quando de necessitate & fato loquitur li-  
 beram Dei voluntatem non excludit : Ita in *Alce-  
 ste* v. 263. Chorus.**

*Ego & per Musas  
 Et sublimis cucurri  
 Plurimis volutatis libris  
 Nihil necessitate potentius  
 Inveni.*

**versu autem 278. additur :**

*Etenim quicquid Jupiter annuerit  
 Tecum hoc perficit.*

**Ita in *Andromache* pag. 320. v. 847. cum *Hermion*  
 exclamasset.**

*Heu exitium ubi est mihi clara flamma ignis !  
 Ubi vero ad finem vitæ sublimis ferar  
 Utrum in mare an in sylvam montium me conferam  
 Ut mortua sim cura Inferis.*

**Respondet Chorus :**

*Quid ita laboriose papas ? calamitates divinitus*

*Omni-*

*Omnibus hominibus veniunt , aut tunc , aut tunc.  
Nemo negat Deum Mortalibus pœnas infligere  
Jure posse.*

*In eadem Tragœdia v. 1268.*

*- . . . quod enim est fatale  
Oportet te perferrè : Jovi enim ista videntur.  
Seda vero dolorem super mortuis :  
Omnibus enim hominibus a Diis iste  
Calculus est destinatus , morsque debetur ipsis.*

*Sentiunt autem homines probi , at afflicti , Deum  
non prorsus lætis oculis adspicere statum impro-  
borum insolentem atque gaudent : ita Chorus in  
Supplic. v. 730.*

*Nunc videns ego hanc insperatam diem  
Judico esse Deos , & puto calamitates meas  
Minores esse , cum isti dederint pœnas.*

*Iphig. in Aulide v. 1555. narratur in locum Iphige-  
niæ mactandæ Dianam ἀπο μινχάνης Cervam sub-  
stituisse , quæ satis testantur Poëtam credidisse ,  
Deum insolita quadam ratione Mortalibus posse  
succurrere , puduit quin etiam paulo humaniores  
Poëtas dicere , Dianam exegisse a Græcis victimam  
humanam , itaque finxerunt satis habuisse Deam ,  
Iphigeniam stare ad aram paratam jugulo excipere  
cultrum ; quam rem sic eleganter expressit Ovidi-  
us Metamorph. Lib. XII.*

*Flentibus ante aram stetit Iphigenia Ministris ,  
Flexa Dea est , nubemque oculis objecit , & inter  
Officium turbamque sacri vocesque precantum.  
Supposita fertur mutasse Mycænida cerva  
- - qua decuit lenita est cæde Diana.*



Ita Cl. CLERICUS ad *Judicium XI.* disputans contra *Capellum*, existimantem fabulam de *Iphigenia* ex historia filiae *Jephthe* desumptam, quam controversiam nostram non facimus.

Eventus etiam *Contingentes Deo* dicuntur ex mente *Euripidis* noti. *Iphig. in Tauris v. 475.*

quis rerum eventus novit, quod  
Tales sint futuri? Omnia enim Deorum consilia  
In obscurum eunt, nec ullus impendens sibi malum novit,  
Fortuna enim hoc reddit cognitu difficile.

Ita tamen aliquando loquitur ut videatur libertatem tollere. Ita in *Hecuba*:

Heu non est mortalium qui sit liber,  
Aut pecuniarum enim servus est, aut fortunæ,  
Aut multitudo eum urbis aut leges scriptæ  
Prohibent, ne utatur pro arbitrio moribus.

At patet *Hecubam* non de libertate ex mente Philosophorum loqui, sed hoc unum velle, plurima esse extra nos posita in hac vita, quæ impediunt, quominus agere, quæ cum maxime vellemus, possimus. Statum etiam *feliciorem* post mortem expectandum esse non semel innuere videtur Poëta. Ita in *Hippolyto v. 186.*

Facilius est ægrotare, quam sanare,  
Illud enim simplex malum, cum hoc vero conjunctus est  
Dolorque mentis, manuumque labor.  
Omnis enim hominum vita est plena dolore,  
Neque est requies laborum:  
Sed aliud quiddam, quod dulcius est vita,  
Tenebræ continentis occultant nebulis.  
Male amantes videmur igitur esse

Hujus

*Hujus lucis , quia hæc fulget per terram  
Propter imperitiam alterius vitæ  
Et propter nullam demonstrationem rerum in terra.*

Sensum Vir Græce doctissimus BARNESIUS ita exprimit : ἔκ ἐστι τῶν ἀνθρώπων μοχθῶν βεβαίως λυσις καὶ ἀναπαυσις , εἰ μὴ ἐν Θανάτῳ , ἢ μετὰ Θανάτον ὅπως ἀνακείται ἡ ἀληθὴς εἰρήνη καὶ ἡδονὴ ἀπαυσις , ἣν δια το σκοτος τῆς βροτειαῖς φύσεως ἔχ ὅιον τ' ἐσμεν διακρίνειν. Putavit autem Euripides Spiritum in ætherem migrare. In *Supplicibus* v. 532.

Ὅθεν δ' ἐκαστον εἰς το σῶμ' ἀφικετο  
Ἐνταυθ' ἀπῆλθε πνευμα μεν προς αἰθερα  
Το σῶμα δ' εἰς γην. ἔτι γαρ κεντημεθα  
Ἡμετερον αὐτο , πλην ἐνοικησαι βιον ,  
Ἐκπετα την θρηψασαν αὐτο , δει λαβειν.

*Unde enim unaquæque pars hominis venit in corpus  
Eo rediit , Spiritus quidem in ætherem ,  
Corpus vero in terram : haud enim possidemus  
Ipsam nobis propriam , nisi ad incolendam vitam ,  
Deinde oportet , terram quæ corpus aluit , ipsam recipere.*

In ætherem abire mentes , & ex æthere in corpora descendere credidisse videtur *Anaxagoras* , & post eum *Euripides* ut de Platonicis nil dicam. Vide *Hieroclem* ad illud *Pythagoræ*.

Ἦν δ' ἀπολειψας σῶμα ἐς αἰθερ' ἐλευθερον ἔλθης  
Ἐσσεαι ἀθανατος , Θεος Ἀμβροτος ἔκ ἐτι θνητος.

BARNESIUS ad h. l. & GROTIUS ad *Eccl.* cap. XII. hunc locum conferunt cum verbis *Salomonis* : *Corpus ad pulverem redit , mens ad Deum qui dedit : quamvis autem aliud sit ad Deum redire , aliud in æthera recipi : probabile tamen , Euripidem , si non*  
B 5 idem

idem quod *Solomon*, saltem hoc asserere voluisse, mentem destructo corpore mortali ad sublimia & purissima loca, unde dimissa, propter res bene gestas, ascendere (\*) *Clarius* adhuc loquitur in *Helena* v. 1020.

- - - Ο υἱς  
 Τῶν κατθανόντων ἦν μὲν εἰς γνῶμην δέχεται  
 ἄθανατον εἰς ἀθάνατον ἀιδεῖν ἐμπροσθεν.

- - - *Mens enim*  
*Defunctorum non vivit quidem, sensum tamen habet*  
*Immortalem, incidens in immortalem aetherem.*

Ad h. verba ita loquitur *BARNESIUS*: *Ex hoc loco Anaxagoræ Euripidisque sententiæ vera interpretatio peti potest; Animam nempe hominis non statim post mortem in aetherem dissolvi ac dissipari, sed in liberum aethereum, ut immortale vehiculum, receptam, vitam quidem, qualem nos, nequaquam vivere, at immortalis sensu & vita magis vitali frui, quæ est vera Spirituum vita.* Longe accuratius de hoc argumento disserit *Cl. MOSHEMIUS* in erudita digressionem ad *Cudworthum* Tom. 2. pag. 1036. sq. inserta, quæ lectu digna. Cum primis quod ultimos illos versus attinet *Euripidis*, existimat Poëtam credidisse, Deum naturam esse subtilem, tenuem & igneam, animosque corpore mortuo cum Deo conjungi, nec misceri tamen cum natura divina, sed manere res per se subsistentes. Eam fuisse *Euripidis* sententiam adeo certum esse non puto, innumera sunt loca veterum, quibus *Aether* a *Deo* distinguitur,

---

(\*) Consule quoque ad hoc caput XII: v. 7. *Solomonis*, *Joh. CLERICI* Commentarium, & ejusdem *Bibl. Select.* Tom. VI. ubi data opera *Euripidem* vindicat.

cur, unicum jam profero locum *OVIDI* Lib. III.  
Fast. v. 285.

*Ecce Deum Genitor rutilas per nubila flammæ  
Spargit & effusis æthera siccant aquis.*

Sunt præterea longe plurima loca in *Euripide*, quæ probant, Poëtam credidisse, Deum summa intelligendi, volendi, libereque agendi potestate præditum, atque hoc inferri potest ex iis, quæ *Cl. Vir* pag. 1040. concedit, nimirum animum vitalem & sentientem separari & sejugari ab animo a corpore digrediente, vimque interiorem rationis & mentem ejus solam ad supremam regionem abire. Videtur *Euripides* existimasse, immensum æthera vehiculum esse immensi illius potentissimique Entis, mentiumque vehicula partes esse purissimi ætheris, at exacte mentem ipsius vix explicare licebit, cum ipse more aliorum licentia poëtica utens, perspicue animi sensa non aperuerit. Quod si vero purissimum, lucidissimumque corpus esse Deum putavit, sed nobilissimis & tanto Ente dignis virtutibus ornatum, erravit quidem: at in numerum Atheorum ideo referri nequit: Hic finem imponere volui huic dissertatiunculæ. Incidi autem aliud agendo in Vol. VI. novorum *Miscell. Lipsiensium*, quæ præsidente Viro *perillustri & nobilissimo* F. O. MENKENIO Lipsiæ colliguntur, in quibus tres offendi dissertationes, quæ ab *Eruditissimo* P. E. JABLONSKI, *Professore in Academia Viadrina Celeberrimo* conscriptæ sunt de Diis quibusdam Aegyptiorum. In tribus illis dissertationibus contendit Aegyptios præter mundum & planetas admisisse mentem præsidem totius rerum Universitatis, de quo argumento hic non agam.

Hoc

Hoc tantum observo, Cl. Virum de PHTHA agentem Numine Aegyptiorum, Sect. II. afferere Celeb. La Croze Tomo III. Thesauri Epistolici contendisse, Aegyptios *Pantheismo* favisse, eumque in finem versibus Euripidis in *Helena* usum. La Crozii verba ita sonant p. 240. *Certum est sententiam Philosophorum Sinensium eandem esse atque Aegyptiorum veterum, a quibus certo scio, eos ante multa secula dogmata fere omnia sua hausisse. Sic autem THEONOE aegyptia Protei filia, in Helena Euripidis v. 1020. Edit. Barnes.*

Ο υβς

των κατθανόντων, ζή μιν, ἔ γνωνεν δ' ἔχει  
 Αθανάτον εἰς ἀθανάτων αἰθερ ἐμπεσών.

Ad hanc objectionem ita respondet Celeb. Jablonski. Nemini obscurum esse potest, auctorem versuum horum id voluisse, animam hominis esse ex æthere, & post hanc vitam in ætherem redire, ita ut non amplius per se subsistat, etsi sensus illius, quem æther in universum habet, tanquam ejus particula, particeps quoque sit. Nescio tamen an ex solis hisce verbis, id, quod volebat Vir præstantissimus, tuto colligi queat. Quem enim, quæso fugit, Poëtas tragicos ut & Comicos, & in genere omnes sententias aut suas, aut aliorum Philosophorum illis tribuere, orique eorum veluti ingerere, quos in scenam producunt? Sententia hæc amice conspirat cum doctrina Pythagoræorum arcana, quorum magna erat illo tempore existimatio & veneratio. Nihil itaque mirum est, quod Euripides, qui non secus, ac Tragici reliqui omnes Dramata sua sententiis philosophicis perquam libenter ornabat, & illo loco ostendere voluerit, quantum in scientiâ philosophica profecisset. At nondum ex eo conficere licebit, sacerdotes quoque Aegyptios

ptios dogma tale in Scholis suis tradidisse & calculo suo comprobasse, quamvis & hos sapientiæ addiscendæ causa adidisse Euripidem testetur D. Laertius Lib. III. cap. VI. Ita Celeb. Jablonski. Nemo non ex dictis colliget, nil certi de hoc ultimo argumento definiri posse.

F I N I S.



SA-